e-codices

stans iuxta altare deglutiret. confestim recuperatum de eius ore exiliens post ostium basilice in pavimentum recidit. Stupefactus vero presbyter quid fieret vel cur panem eatenus sibi denegatum manducare vellet interrogat. Et cum primitus illum iuxta corpus othmari eius desiderio invasum perdisceret, porrecto illi pane festinanter ait ad eundem locum tendito in quo primum panis cepisti habere desiderium. Fortassis enim deus in illo loco sue pietatis tibi conferre dignabitur auxilium. Cuius preceptis pauperculus obediens ad ecclesiam rediit et antequam illo perveniret panem quem a presbytero acceperat manducando consumpsit. Ingressus vero ecclesiam celeriter miraculo divulgato a multis meorum panem accepit et coram sancti viri corpore sedens satis avide comedit. Qui huc usque apud nos constitutus consueto hominum more panem sine tedio manducat atque hoc miraculum divina pietate in se esse factum viva voce proclamat.

11 Quidam pauperculus ex gallorum provincia genitus qui sinistrum genu cum pede flaccido et in sinistram partem detorto contractum atque a terra sublevatum a nativitatis sue exordio pondere potius quam subsidio deportabat duobus sustentaculis inter ascellas suffultus domos fidelium elemosinam queritando circuire solebat. Hic itaque eodem anno transactis nativitatis dominice sollemniis in pago qui vocatur linzgowe constitutus virum quendam venerabilem sacerdotali stola indutum et vultus honestate perdecorum sibi in somnis assistere huiusque se vocibus affari asseruit. Si meam o paupercule mansionem adires baculum tibi condonare cuius adminiculo sustentatus perincepta viarum discrimina melius incedere prevaleres. Cui ille domine ait mansionem tuam nescio et in quibus eam partibus querere debeam penitus ignoro. Ipse vero ad eum Lacum inquit stagni huius transfretare illisque in locis sollerter eam investigare curato. Pro certo sciens si illo perveneris quod perhenni receptione gaudebis. Et ut facilius eam invenire valeas noveris me in domo alterius adhuc positum esse ac proprie mansionis habitaculum non diu habere.

Inhac visione pauper ille commonitus transgresso lacu ad cuiusdam presbiteri domum quadam die sero pervenit. eademque nocte predicti habitus virum iterato sibi assistentem et cur tamdiu inveniendo tardaret interrogantem asseruit. Ad cuius interrogationem cum idem debilis ob eiusdem loci ignorantiam sueque debilitatis incommoda antea se non posse venire fateretur ille pedem eius nisi celeriter eundem locum adiret sese abscisurum esse comminabatur. Huiuscemodi ergo iussionibus idem pauper obedire paratus reddita mortalibus die presbitero viam dictante ad monasterium properat ibique nocte ipsa que etiam tunc dominica habebatur in vigiliarum celebrationibus devote pernoctat. Facto autem mane post recitatum in publica missa evangelium cum ad gradus quos sacro corpori contiguos esse memoravimus deveniret nervorum atque venarum iunctura rupta cute ac mox subsequente sanguine franguntur et membra diu contracta divine operationis effectu subito corriguntur. Quorum tensione atque fractura eger ipse ferre non prevalens in ipsis gradibus corruit horrendisque vocibus perstrepens omnes in ecclesia stantes perterruit. Quorum plurimi concurrentes eum continuo sustulerunt. cognitoque miraculo omnipotenti deo debitas gratiarum actiones retulerunt. Pauper autem ipse eductus de ecclesia per temporum momenta convaluit et post aliquot dies sanus monasterio discessit.

12 Post sanitatis huius miraculum exacto trium ebdomadarum spacio mutus quidam in vicino territorio natus atque nutritus quem multi in sua primeva etate loquendi omnis officio noverant esse privatum in dominica itidem die monasterium aggressus ad corpus sancti othmari accessit et quoddam lini globulum pie devotionis intuitu eius arce supposuit. Quo facto subitaneo quodam impulsu cum extasi mentis terratenus deiectus dissolutis lingue retinaculis sanguinis copiam ex ore profudit. Quem suis ipse manibus ne in basilice pavimentum caderet suscipiens continuo extra ecclesiam proicit. sicque ingenti formidine atque terrore perculsus neminem quod sibi evenerat innotescens cum omni festinatione

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. f.%2024r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/f.%2024r)